

Petrus de Vinea

*Ep. I 29 (Honor Imperii,
qui propter turbationes...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 29 (Honor Imperii,
qui propter turbationes...)*

1241

Item de aduentu Tartarorum, et conqueritur ei de Papa, propter cuius impedimentum non potest eis obuiare.

1. Honor Imperii, qui propter turbationes temporum ualde fuerat in Ytalia diminutus, per quem nostra et exaltatio principum procuratur, diu nos de consilio tuo et aliorum principum ad sui reformationem tenuit in eisdem partibus occupatos, ut, quibuslibet deliciis et regiis opportunitatibus pretermisissis, personae nostrae ac nostrorum fidelium continuatis laboribus per quamplures annos estiuis et hiemalibus temporibus minime parceremus. 2. Regnum hereditarium nostrae matris augustae, obuentiones et commoda nobis undecumque proueniunt, preter mores regnantium ceterorum, qui bona hereditaria commodis specialibus et priuatis attribuunt, pro republica et augmento Imperii, tam in rebus quam in diuitiis et personis incessabiliter exponentes, ita quod, uictore Domino, cuius preuia dextera feliciter in omnibus triumphamus, ad id labores nostri transacti temporis peruenerunt, ut, deuictis fere in totum hostibus et Imperio nostro subactis, ualde modici temporis restat labor: in quo finito speramus, ad perfectionem uotorum communium et prosperum totius operis Ytali complementum, triumphaliter pro nostro et communi honore principum penitus peruenire. 3. Quia uero pridem auditis rumoribus nationis barbarae Tartarorum, quod regnum Vngariae subitis aggressibus inuasissent, cogitauimus, proximo ardente pariete, rebus nostris consultius succurrendum. 4. Ad haec, prompta expositi uoluntate, uelut qui cum proprio suadente negotio, tum totius Christianitatis subsidio et tuitione Catholicae fidei requirente: ad quam tuendam, ex commissa nobis imperialis officii dispensatione,

tenemur et debemus inimicis fidei Christianae totis uiribus obuiare. 5. Sed summa necessitas necessariae causam dilationis indixit, ut rem tam arduam Imperii, nos principaliter et specialiter principes contingentem, bellicis tot armorum laboribus in effusionem Germanici sanguinis acquisitam, et ad finem proximum Germanis ensibus iam deductam, non deberemus omittere propter breuissimam moram temporis imperfectam: ut, quod esset deterius et facile contingisset Ytalicis gentibus in absentia dominorum suorum utentibus more suo, tantus labor et effusae diuitiae pro recessu nostro in irritum recidissent, et recidiua negotii, grauiora nobis et Imperio iterata, pericula permanerent. 6. Aliud etiam urgens et euidens impedimentum occurrit, quod, crescente inter nos et Romanum pontificem ab olim oborto discidio, experientia preteriti temporis suggerit uenturum tremorem: ut iustus timor, qui cadere ualeat in constantem, recte moueat mentem nostram, ne, nobis uenientibus ad confusionem hostium barbarorum, familiaris et domesticus hostis, uelut quondam, nobis partes Vltramarinas aduenientibus pro seruitio Iesu Christi, animatis quibusdam rebellibus nostris, marinis predonibus, qui libenter occasionem absentiae nostrae captarent, inuaderet Regnum nostrum: cum familiaris inimicus et hostis pestis sit efficacior ad nocendum. 7. Propter quod de te ac de ceteris principibus non absque admiratione publica totius loquitur lingua mundi; quod audito et cognito infausto aduentu infidelium Tartarorum, qui ad exterminium Ecclesiae et Imperii ac totius cladem Christianitatis aspirat, preuisa deliberatione principum, ad Sedem Apostolicam nuntios misimus specialies, supplicantes summo pontifici, ut tot impedimenta, quae uerbo et

opere nobis opposuit et opponere non disistit, inspecta necessitate Occidentalis prouinciae, reuocaret; et nos ad publicae fidei Christianorum defensionem uenire permittat, etiam inoffensos, ut moram nostram, quam iniuste causeris, tu uel alii principes arguere non possetis. 8. Sic pro diuturnis guerris ac humiliatione superborum rebellium, exhaustis thesauris nostris et uiribus tot annorum laboribus fatigatis, tam propter ea tueri, quam ab inimici hominis nequitia seu insidiis precauere, ac instanti dissensionem finem imponere compellamur, atrio nostro in tranquillitatis securitate disposito, reparatis opibus ac uirium copiis, ad interitum communium hostium potentius accessuri. 9. Quapropter, omnibus pretermisissis, felices gressus nostros direximus uersus Urbem, ita quod Romanis partibus uicinamur, intendentes esse contenti ueteribus et hereditariis Imperii uiribus uel iuribus, quae diu Augusti predecessores nostri generis et honoris tam Imperii quam regnorum proprie propria possederunt; quibus tam diu neglectis, per te et alios principes notari merito poteramus. 10. Ad pacem uero, quam semper affectauimus, instantem operam adhibemus, quae per nos fuisset olim et sepius procurata, nisi frequens nostra petitio aures et animum pertinacis hominis induraret, et inde nutrirer discordiam, unde concordiam postularet. 11. Speramus autem per presentem gressum nostrum mundo acquirere bonum pacis, et statu Ytaliae pacifice reformato ac Regno nostro in Dei securitate dimisso, tam onusti diuitiis quam gentium multitudine constipati, cum expectata benedictione sacrosanctae matris Ecclesiae ueniemus, ita quod, Domino exercituum nos iuuante, quo duce, quo preuio, ministrata nobis e celo uictoria, qua de cunctis inimicis nostris consueuimus triumphare, Tartarorum

multitudinem deuincemus. 12. Tuam igitur industriam exhortamur, quatenus interim cum toto tuarum conatu uirium dilecto filio nostro Corrado, in Romanorum regem electo, potenter assurgas ad reprimendos impetus aduersariorum communium et ingressus, ut eis non liceat campum liberum inuenire, donec nos cum potentia maxima ad eorum confusionem ultimam ueniamus.